An. et vol. XXXXVI 15 Iulii 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Encyclica, p. 337 - In sollemni Canonizatione Beatorum, p. 357 - Allocutio, p. 358 - Litterae Apostolicae, p. 363 - Epistulae, p. 365 - Nuntius radiophonicus, p. 369.

Acta Ss. Congregationum: *S. C. Rituum*: I, II, III Decreta de « tuto » pro canonizatione Beatorum, p. 373.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 377-384.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 9 - 15 Iulii 1954)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

PAG.

Ecclesiae fastos. - Ad Venerabiles Fratres Britanniae, Germaniae, Austriae, Galliae, Belgicae et Hollandiae Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: duodecimo exeunte saeculo a piissimo S. Bonifatii Episcopi et Martyris obitu. - 5 Iunii 1954 . . 337

IN SOLLEMNI CANONIZATIONIS

Beatorum Petri Aloisii Chanel, Martyris, Gasparis Del Bufalo, Iosephi Pignatelli, Dominici Savio, Confessorum, et Beatae Mariae Crucifixae Di Rosa, Virginis, in platea S. Petri ad valvas Basilicae Vaticanae, vespere diei XII Iunii mensis, anno MCMLIV peracta 357

ALLOCUTIO

A Summo Pontifice, post peractam Canonizationem Sanctorum Petri Aloisii Chanel, Martyris, Gasparis Del Bufalo, Iosephi Pignatelli, Dominici Savio, Confessorum, et Beatae Mariae Crucifixae Di Rosa, Virginis, in Petriano foro, coram multitudine fidelium Veneratissimo Patri acclamante, habita 358

LITTERAE APOSTOLICAE

Almam Deiparam. - In « Primariam » erigitur Pia Unio Excubiarum honoris Sacratissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis vulgo « Ehrenwache des heiligsten Herzens Mariä », in archidioecesi Monacensi constituta, eiusdemque statuta confirmantur. - 17 Decembris 1951 363

EPISTULAE

I. *Iucundo admodum.* - Ad Emum P. D. Emmanuelem tit. Sanctorum Marcellini et Petri S. R. E. Presb. Cardinalem Conçalves Cerejeira, Patriarcham Lisbonensem, quem Legatum deligit ad Congressum Marialem e tota Lusitania, Augustae Bracarum ad Sanctuarium « Monte do Sameiro » celebrandum. - 25 Maii 1954 365

II. *Auspicato sane continget.* - Ad Emum P. D. Petrum tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Presb. Cardinalem Gerlier, Archiepiscopum Lugdunensem et Viennensem Allobrogum, quem Legatum renuntiat ad Marialem Conventum e tota Gallia Lugduni celebrandum. - 13 Iunii 1954 366

III. *Exeunte hoc mense.* - Ad Emum P. D. Franciscum tit. Sanctae Mariae in Vallicella S. R. E. Presb. Cardinalem Borgongini Duca, quinque episcopatus lustra explentem. - 21 Iunii 1954 367

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A Summo Pontifice datus, die VI Iunii mensis a. MCMLIV, spectatoribus Televisionis primum simul colligatae cum Anglia, Batavia, Belgica, Dania, Gallia, Germania et Italia. . 369

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana.* - Decretum de « tuto » pro Canonizatione B. Gasparis Del Bufalo, Confessoris, fundatoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. - 8 Maii 1954 373

II. *Romana.* - Decretum de « tuto » pro Canonizatione B. Iosephi Pignatelli, Confessoris, Sacerdotis professi e Societate Iesu. - 8 Maii 1954 . . . 374

III. *Asten. seu Taurinen.* - Decretum de « tuto » pro Canonizatione B. Domici Savio, Confessoris, adulescentis laici, Salesiani Oratorii alumni. - 8 Maii 1954 376

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 377

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 377

An. et vol. XXXXVI 15 Iulii 1954 (Ser. II, v. XXI) – N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES BRITANNIAE, GERMANIAE, AUSTRIAE, GALLIAE, BELGICAE ET HOLLANDIAE ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DUODECIMO EXEUNTE SAECULO A PIISSIMO S. BONIFATII EPISCOPI ET MARTYRIS OBITU.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ecclesiae fastos non modo mente repetere, sed publicis etiam celebrationibus commemorare, summopere addecet et opportunum est, quandoquidem ex iisdem facile cernitur nullum umquam fuisse in societate a Iesu Christo condita sanctitatis sterile saeculum; ac praeterea id evenire consentaneum est ut, si praeclara virtutis exempla, quae ex iisdem fastis refulgent, data opera omnibus proponantur, animi exardescant vehementerque excitentur ad eadem pro viribus persequenda.

Placuit igitur admodum nuntius ad Nos perlatus, apud eas praesertim Nationes, quae peculiari de causa erga S. Bonifatium, praeclarum Benedictini Ordinis decus et gloriam, grata feruntur voluntate, eventum duodecies saeculare, ex quo idem, martyrio facto, ad caelestem patriam evolavit, hoc anno com-

memoratum iri summo quidem cum gaudio publicisque edendis supplicationibus.

At si habent Nationes vestrae cur hunc virum sanctissimum venerentur eiusque optime gesta hac data faustitate recolant, multo magis habet haec Apostolica Sedes, quae eum ter vidit, post longum susceptum asperumque iter, pio peregrinantium more Romam ingredi, ante Apostolorum Principis sepulcrum genua venerabundum flectere, et a Decessoribus Nostris observantissimi filii animo apostolicum mandatum petere, quo posset, ut vehementer cupiebat, dissitis barbarisque gentibus Divini Redemptoris nomen ac christianum civilemque cultum inferre.

Anglosaxonum genere ortus, in primo aetatis flore supernum invitamentum vehementer sensit, quo compellebatur ad avito patrimonio saeculique illecebris vale dicendum, et ad sese concludendum in tuta coenobii saepta, ut facilius posset caelestibus vacare contemplationibus et evangelicis praeceptis se omnino conformare. Inibi, non modo in humanioribus litteris sacrisque disciplinis addiscendis, sed in christiana etiam virtute magnos processus fecit, ita quidem ut coenobii sui antistes deligeretur. Attamen, ut erat animo praeditus ad maiora et ampliora nato, iam diu in votis habebat ad exteras se conferre terras ad barbarasque gentes, quas Evangelii lumine collustraret, christianisque praeceptis imbueret. Nihil eum remorabatur; praepediebat nihil: non abscessus a patria carissima, non longa ac difficilia itinera, non ea denique quae ab ignotis populis pericula omne genus ei obvenire poterant. Eius in apostolico animo aliquid inerat tam actuosum, tam vehemens, tam strenuum, ut humanis consiliis humanisque constringi vinculis omnino non posset.

I

Mirum profecto est Britanniam, quae centum circiter ante annos a Decessore Nostro imm. mem. Gregorio Magno — misso ad eam Benedictinae subolis validissimo agmine, cui S. Augustinus praeerat — ad christianam religionem post tot rerum

vicissitudines revocata fuerat, mirum, dicimus, profecto est tam firma iam eo tempore praestitisse fide, tam incensa iam floruisse caritate, ut, quasi flumen redundans, quod circumiectas terras irrorat uberioresque reddit, optimos non paucos quos haberet viros ad ceteras gentes ultro libenterque mitteret, qui quidem eas Iesu Christo lucrarentur, eiusque in terris Vicario arctissime coniungerent; atque hoc modo quasi gratiam eidem referret ob accepta catholicae religionis, civilis cultus, christianaeque humanitatis beneficia.

Inter eos procul dubio apostolici studii ardore animique fortitudine, cum morum suavitate coniuncta, Winfridus eminet, qui postea a Romano Pontifice S. Gregorio II Bonifatius nuncupatus fuit. Is una cum sociorum manu, quae parva numero erat, sed virtute praestabat, evangelicum opus suum, ad quod iam diu annitebatur, aggrediendum suscepit; ideoque a Britanniae oris navem solvit, et ad Frisiae ripam appulit. Verumtamen, cum is, qui in ea regione tyrannico imperio dominabatur, christianam religionem acriter aversaretur, S. Bonifatii eiusque sociorum nisus in irritum cesserunt; atque adeo post inanes labores vanaque tentamina, is una cum suis sodalibus in patriam redire coactus est.

Non tamen eius decidit animus; sed post non diuturnum temporis spatium Romam petere, Apostolicam Sedem adire, et ab ipso Iesu Christi Vicario sacrum mandatum demisse petere voluit, quo quidem roboratus facilius posset, divina aspirante gratia, arduam illam assequi metam, quam contingere tam vehementer exoptabat. Itaque, postquam « limina beati Petri apostoli prospere adgressus est »[1] et Apostolorum Principis sepulcrum summa est religione veneratus, suppliciter petiit a Decessore Nostro sanctae rec. Gregorio II ut coram admitteretur.

Libenter eum excepit Pontifex, cui « omnem ... per ordinem itineris sui atque adventus occasionem manifestavit; et, quali anxius desiderio diutius desudasset, aperuit. Sanctus itaque

[1] *Vita S. Bonifatii, auctore Willibaldo*, ed. Levison (Hannoverae et Lipsiae, 1905), p. 21.

Papa repente hilari vultu adridentibusque oculis intuitus in eum »,[2] eiusdem animum auxit excitavitque ad laudabile hoc opus aggrediendum fidenter; eumque apostolicis litteris et apostolica auctoritate hac de causa munivit.

Acceptum a Iesu Christi Vicario mandatum ei visum est caelestia a Deo conciliare munera et auxilia, quibus suffultus, nullis hominum rerumque difficultatibus territus, felicioribus cum auspiciis posset uberibusque cum fructibus tam diu concupitum inire ac provehere inceptum. Varias Germaniae ac Frisiae regiones peragravit apostolicus agricola: ubi nulla erant christianae doctrinae vestigia, sed omnia inculta, silvestria, immania, ibi Evangelii semina larga manu sparsit, eaque adsiduis laboribus suis suoque sudore fecundavit; ubi vero christianorum communitates, vel legitimo destitutae Pastore, neglectae ac miserae in ignavia iacebant, vel a corruptis indoctisve sacrorum administris longe a sincera fide a rectisque moribus compellebantur, inibi privatae publicaeque vitae reformator prudens et acerrimus, operarius sollers, indefatigabilis, atque virtutum omnium excitator et restitutor studiosissimus exstitit.

Res a Bonifatio tam prospere gestae ad eundem Decessorem Nostrum delatae fuere, qui eum ad Apostolica limina vocavit; eidemque, etsi ob modestiam renitenti, « intimavit ... quia episcopatus gradum sibi imponere voluisset, ut eo constantius errantes quoslibet corrigere et ad viam veritatis convertere posset, quo maiori auctoritate apostolicae dignitatis fulciretur, essetque cunctis tanto acceptior in praedicandi officio, quanto plus clarescceret, quia ad hoc a praesule ordinatus esset apostolico ».[3]

Itaque « Episcopus Regionarius » ab ipso Pontifice Maximo consecratus, ad vastissimas sibi creditas regiones regreditur, ubi nova eiusmodi dignitate auctoritateque auctus, in apostolicos labores impensiore usque navitate incumbit.

Ut huic Pontifici, ob suae virtutis praestantiam et ob incensissimum Iesu Christi Regni dilatandi studium carissimus fuit,

[2] *Ibidem*, c. I.
[3] *Vita S. Bonifatii auctore Othloho*, ed Levison, lib. I, p. 127.

ita Successoribus eius; hoc est S. Gregorio III, qui eum ob praeclara adepta promerita Archiepiscopum nominavit sacroque honestavit pallio, facta eidem facultate Ecclesiasticam hierarchiam in regionibus illis legitime constituendi vel reformandi, novosque consecrandi Episcopos « ad inluminationem gentis Germaniae »;[4] S. Zachariae itidem, qui, amantissimis datis litteris, eius munus confirmavit, et summis honestavit laudibus;[5] ac denique Stephano III, ad quem quidem Pontificem nuper electum, iam ad mortalis huius vitae finem vergens, epistulam misit observantissimam.[6]

Horum Pontificum auctoritate ac benevolentia fretus, per totius sui muneris cursum Bonifatius incensiore cotidie ardore immensas peragravit regiones, errorum adhuc tenebris submersas; eas evangelicae veritatis luce collustravit; iisdemque novum christianae humanitatis aevum indefessa opera sua illucescere iussit. Frisia, Altsaxia, Austrasia, Thuringia, Franconia, Hassia, Bavaria eum habuerunt divini verbi satorem indefatigabilem ac novae illius vitae parentem, quae a Iesu Christo oritur eiusque gratia alitur. Ad illam etiam « antiquam Saxoniam », [7] ex qua suos avos ortos esse putabat, pertingere vehementer cupiebat; attamen haec vota sua ad felicem exitum perducere non potuit.

Ad ingens autem hoc opus ineundum, persequendum perficiendumque novos laboris socios itemque socias — sanctimoniales nempe, in quibus Lioba evangelicae vitae perfectione excellit — ex Benedictinis suae patriae coenobiis, tunc temporis doctrina, fide caritateque florentibus, suppliciter ad se vocavit; qui quidem libenti volentique animo cum advenissent, adiutricem ei operam navarunt pretiosissimam. Nec defuerunt qui in ipsis peragratis terris, postquam ad Evangelii lumen pervenissent, tam flagranti actuosaque voluntate susceptam religionem amplecterentur, ut eam pro viribus ceteris omnibus, quibus

[4] *S. Bonifatii Epistolae*, ed. Tangl (Berolini 1916), epist. 28, p. 49.
[5] Cfr. *Ibidem*, Epist. 51, 57, 58, 60, 68, 77, 80, 86, 87, 89.
[6] *Ibidem*, Epist. 108, pp. 233-234.
[7] *Ibidem*, Epist. 73, p. 150.

possent, impertire eniterentur. Itaque postquam, ut diximus, Romanorum Pontificum auctoritate fultus « S. Bonifatius coepit undique, quasi novus archimandrita, quae divina sunt plantare, diabolica vero extirpare, coenobia ecclesiasque aedificare, pastores cautissimos ecclesiis eisdem praeponere »,[8] earum regionum status pedetemptim immutatus est. Hominum mulierumque multitudines cernere erat ad hunc virum apostolicum contionantem frequentissimas accurrere; eum audientes intus permoveri; veteres superstitiones derelinquere; pietate erga Divinum ardere Redemptorem; ad suavissimam eius doctrinam suos asperos corruptosque conformare mores; lustrali baptismi aqua expiari, novamque prorsus inire vitam. Heic monachorum vel sanctimonialium coenobia exstructa sunt, quae non modo divinae religionis, sed humaniorum etiam litterarum optimarumque disciplinarum et artium fuere sedes; illic — imperviis, inexploratis ac tenebricosis silvis vel opportune conlucatis, vel omnino succisis ac deiectis — novi agri exculti sunt in communem utilitatem; ac nova hominum domicilia passim erigi coepta sunt, quae saeculorum decursu erant frequentissimae urbes exstitura.

Indomita Germanorum Natio, quae, utpote suae libertatis studiosissima, nulli umquam obnoxia fieri voluerat, ac ne praepotentibus quidem Romanorum armis territa, numquam in eorum stabilem dicionem concesserat, ab inermibus hisce Evangelii praeconibus ultro citroque lustrata, iisdem tandem obtemperans feram reclinat frontem; novae doctrinae pulchritudine rectitudineque imbuitur, permovetur, allicitur; ac denique id feliciter contingit, ut suavissimo Iesu Christi iugo libens, volens se subiciat.

Ob Sancti Bonifatii operam novum procul dubio aevum Germanorum genti illuxit; novum non tantum ad christianam religionem quod attinet, sed ad civilem etiam humanioremque vitam. Quamobrem iure meritoque haec gens eum consideret ac

[8] *Vita S. Bonifatii auctore Otloho*, ed. Levison, lib. I, p. 157.

recolat oportet utpote parentem suum, quem grata semper voluntate prosequi, et cuius praeclaris virtutum omnium exemplis actuosissime insistere debeat. « Pater namque spiritalis non solum Deus omnipotens dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina et exemplis ad agnitionem veritatis instruimur, ad stabilitatem religionis incitamur. ... Haud aliter sanctus praesul Bonifatius omnium Germaniae incolarum pater dici potest, pro eo quod illos verbo sanctae praedicationis primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua caritate nemo maiorem valet exhibere ».[9]

In variis autem coenobiis, quae non pauca in regionibus illis exstruenda curavit, principem procul dubio locum obtinet Fuldense illud, quod populis veluti pharus apparuit, quae collucentibus facibus iter navibus per maris fluctus indicat. Ibi enim quasi nova Dei civitas condita fuit, in qua innumeri monachi, alii aliis succedentes, humanis divinisque disciplinis rite diligenterque instruuntur, in qua precando contemplandoque ad futura certanda pacifica certamina comparantur, ex qua denique veluti apium examina, postquam ex sacris profanisque libris suavissimum sapientiae mel hauserint, per varias proficiscuntur partes, ut illud ceteris generosi impertiant. Nullum optimarum disciplinarum vel artium liberalium genus ibi ignotum fuit. Veteres codices studiose conquisiti fuere, diligenter transcripti, colorum luminibus exornati, summaque explanati cura; ita quidem ut iure meritoque asseverari queat sacras profanasque doctrinas, quibus Germanorum gens hodie tantopere praestat, veneranda inibi habuisse incunabula.

Ac praeterea hisce ex aedibus innumeri profecti sunt Benedictini sodales, qui cruce et aratro, orando nempe laborandoque, terris illis, quae adhuc tenebris obvolvebantur, christianae humanitatis lumen intulerunt. Eorum diuturna indefessaque opera silvae, quae immensae erant beluarum sedes hominibus fere imperviae, uberes effectae sunt excultique agri; et qui

[9] *Ibidem*, ed. Levison, lib. I, p. 158.

populi adhuc erant rudibus ferisque moribus inter se disiuncti, una decursu temporum facti sunt gens, Evangelii lenitate virtuteque mansuefacta ac christianis civilibusque dotibus praeclara.

At peculiari modo Fuldense coenobium divinae orationis divinaeque contemplationis domicilium fuit: ibi nempe monachi, antequam difficillimum susciperent populos evangelizandi munus, precando, paenitendo, laborandoque ad excelsam se sanctitatem conformare enitebantur. Ac Bonifatius ipse, quotiescumque poterat ab apostolicis laboribus aliquantulum se abstrahere ac requiescere pusillum, illuc se recipiebat libentissime, ut animum temperaret ac confirmaret suum caelestibus meditationibus diuturnisque precibus vacando. « Est ... locus silvaticus — ita ipse Decessori Nostro sanctae rec. Zachariae scribebat — in eremo vastissimae solitudinis, in medio nationum praedicationis nostrae, in quo monasterium construentes, monachos constituimus sub regula sancti patris Benedicti viventes, viros strictae abstinentiae, absque carne et vino, absque sicera et servis, proprio manuum suarum labore contentos. ... In quo loco, cum consensu pietatis vestrae, proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, et post mortem iacere. Quattuor etenim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci huius habitare dignoscuntur; quibus, cum vestra intercessione, quamdiu vivo vel sapio, utilis esse possum. Cupio enim vestris orationibus, comitante gratia Dei, in familiaritate Romanae Ecclesiae et vestro servitio inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare et praecepto vestro oboedire ». [10]

Huius praesertim in coenobii silentio supernam a Deo vim hausit, qua roboratus ad nova certamina ineunda proficiscebatur animosus; et qua potuit tot Germanorum gentes ad Iesu Christi ovile adducere, vel reductas confirmare, ac non raro etiam ad evangelicam compellere vitae perfectionem.

[10] *S. Bonifatii Epist.*, ed. Tangl, epist. 86, pp. 193-194.

Atsi Bonifatius peculiarissimo modo Germaniae apostolus fuit, non tamen divini regni dilatandi studium, quo tam vehementer flagrabat, huius nationis finibus terminabatur. Galliae quoque Ecclesia, quae inde ab Apostolorum aetate tam generoso animo catholicam fidem amplexa erat, eamque paene innumerorum martyrum sanguine consecraverat, et quae etiam post constitutum apud eam Francorum imperium, in christiani nominis fastis paginas scripserat summa laude dignas, tunc temporis morum emendatione christianaeque vitae instauratione reformationeque summopere indigebat. Siquidem non paucae erant dioeceses vel suo viduatae Episcopo, vel non digno concreditae Pastori; alicubi superstitiones omne genus, haereses, schismata animos perturbabant multorum; Ecclesiastica Concilia, quae ad tutandam religionis integritatem, ad restituendam cleri disciplinam et ad publicos privatosque reformandos mores omnino necessaria erant, neglegentia summa iam diu non celebrabantur; sacri administri excelsae sui muneris dignitati impares saepius erant; ac non raro populus in magna christianae religionis ignoratione atque adeo in corruptelarum laqueis iacebat. Harum tristissimarum rerum nuntii ad S. Bonifatii aures pervenerant; qui quidem, vixdum illustrem Francorum Ecclesiam in discrimen adductam animadvertit, manum ad rei funditus medendum impensissima sollertia admovendam curavit.

Verumtamen hisce etiam in ingentibus rerum difficultatibus se Apostolicae Sedis auctoritate indigere sensit;[11] qua suffultus, utpote Romani Pontificis Legatus,[12] per quinque fere annorum spatium indefatigabili cura summaque prudentia elaboravit ut Francorum Ecclesiam ad pristinum decorem revocaret. «...Tum quippe, Domino Deo opitulante ac suggerente sancto Bonifatio archiepiscopo, religionis christianae confirmatum est testamentum, et orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correcta instituta cunctaque canonum auctoritate emendata atque ex-

[11] Cfr. *Ibidem*, Epist. 41, p. 66.
[12] Cfr. *Ibidem*, Epist. 61, pp. 125-126.

piata ».[13] Quattuor siquidem Concilia, S. Bonifatio excitante curanteque, hac de causa celebrata fuere,[14] quorum quartum ex universo Francorum imperio; ecclesiastica hierarchia redintegrata fuit; Episcopi, hoc nomine et hoc munere digni, delecti suisque sedibus destinati; cleri disciplina pro viribus restituta ac reformata; sacrorum canonum auctoritas in tuto posita; christiani populi mores diligenti data opera emendati; superstitiones prohibitae;[15] haereses reprobatae ac damnatae;[16] schismata denique feliciter composita. Tunc, summo cum sancti Bonifatii bonorumque omnium gaudio, Francorum Ecclesia novo splendore enitere ac florescere visa est; restincta, vel saltem imminuta fuere vitia; christianae virtutes in honore habitae; ac necessaria cum Romano Pontifice coniunctio arctioribus firmioribusque vinculis roborata fuit. Patres nempe generalis Concilii, ex universo Francorum imperio celebrati, acta, ab se sollemniter sancita, Romam ad Summum Pontificem miserunt, veluti suae suorumque catholicae fidei luculentissimum documentum, quod ad Apostolorum Principis sepulcrum suae ipsorum venerationis, pietatis unitatisque testimonium deponeretur.[17]

Hoc etiam, Deo aspirante iuvanteque, gravissimo persoluto munere, non meritae requieti se tradit Bonifatius, sed quamvis adhuc tot sollicitudinum prematur onere, ac se iam experiatur ad devexam pervenisse aetatem, suamque sentiat valetudinem tantis exantlatis laboribus paene fractam, attamen ad novum nec minus arduum provehendum inceptum animose se comparat. Ad Frisiam nempe iterum oculos mentemque convertit; ad Frisiam dicimus, quae prima fuerat apostolici sui itineris meta, et in qua deinceps quoque tantopere elaboraverat. Haec natio, in septemtrionalibus praesertim partibus ethnicorum er-

[13] *Vita S. Bonifatii, auct. Willibaldo*, ed. Levison, p. 40.
[14] Cfr. SIRMOND, *Concilia antiqua Galliae* (Parisiis 1629), t. I, p. 511 et sq.
[15] Cfr. *S. Bonifatii Epist.*, ed. Tangl, epist. 28, pp. 49-52.
[16] Cfr. *Ibidem*, Epist. 57, pp. 104-105; et epist. 59, p. 109.
[17] Cfr. *Ibidem*, Epist. 78, p. 163.

rorum tenebris adhuc obvoluta iacebat; ad eam igitur iuvenili animo perrexit, ut novos ibi Iesu Christo filios pareret, ac christianum cultum novis populis inferret. Percupiebat enim « ut, ubi primitus praedicationis studium ingrediens praemiorum inchoaverat incrementa, etiam e saeculo rediens sumptus reciperet remunerationis ». [18] Cum praesentiret siquidem se proxime ad mortalis huius vitae exitum reductum iri, id discipulo suo carissimo, Episcopo Lullo, hisce verbis praenuntiavit, una simul asseverans se nolle in otio exspectare mortem: « Ego enim propositum pergendi iter complere cupio; ego me a desiderato proficiscendi itinere revocare non potero. Iam enim instat resolutionis meae dies et tempus obitus mei appropinquat; iam enim, deposito corporis ergastulo, aeternae retributionis revertar ad bravium. Sed tu, fili carissime, ... populum ab erroris invio instantissime revoca tuque aedificationem basilicae iam inchoatae ad Fuldam comple, ibidemque meum multis annorum curriculis corpus inveteratum perduc ». [19]

Cumque, non sine effusis lacrimis, ab suis, parvo cum sociorum agmine, discessisset, « per omnem ... Frisiam pergens, verbum Domini, paganico repulso ritu et erraneo gentilitatis more destructo, instanter praedicabat, ecclesiasque, numine confracto dilubrorum, ingenti studio fabricavit. Et multa iam milia hominum, virorum ac mulierum, sed et parvulorum ... baptizavit ». [20] Attamen, cum ad septemtrionales Frisiae regiones pervenisset, cumque in eo esset ut neophitorum multitudini, lustrali iam aqua expiatae, Confirmationis sacramentum impertiret, ex improviso ethnicorum furiosa plebs in eos irruit, atque horridas vibrando hastas mortiferaque gladia, mortem minata est. Tunc sanctissimus Praesul serena fronte procedens, suis « pugnae interdixit certamen dicens: " Cessate, pueri, a conflictu pugnaeque deponite bellum, quoniam scripturae testimonio veraciter erudimur, et ne malum pro malo, sed etiam bonum

[18] *Vita S. Bonifatii, auct. Willibaldo*, ed. Levison, p. 46.
[19] *Ibidem*, c. l.
[20] *Ibidem*, p. 47.

pro malis reddamus. Iam enim diu optatus adest dies et spontaneum resolutionis nostrae tempus inminet. Confortamini igitur in Domino ... forti estote animo, et ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam sine fine manentem necare non possunt; sed gaudete in Domino et spei vestrae ancoram in Deum figite, qui extemplo perpetuae reddet vobis remunerationis mercedem et caelestis aulae sedem cum supernis angelorum civibus condonat " ».[21] Hisce verbis ad palmam martyrii excitati, omnes orantes animumque et oculos ad caelum convertentes, ubi premium sempiternum se proxime excepturos confidebant, inimicorum impetum subiere; qui quidem « felici sanctorum caede » ipsorum corpora cruentarunt.[22] Contigit autem ut Bonifatius, instante martyrii sui momento, « cum gladio feriendus esset, sacrum evangelium codicem capiti suo imposuerit, ut sub eo ictum percussoris exciperet, eiusque praesidium haberet in morte, cuius lectionem dilexerat in vita ».[23]

Hac gloriosa morte, quae certum praebet ad aeternam beatitatem aditum, S. Bonifatius suae vitae cursum confecit, quae tota fuit ad Dei gloriam et ad suam ceterorumque salutem impensa. Sacras eius exuvias, post varias rerum vicissitudines, « ad eum, quem vivens praedestinaverat, locum perduxerunt »,[24] hoc est ad Fuldense coenobium ubi discipuli sacros concinentes psalmos multis cum lacrimis eas digne condiderunt. Ad hoc sepulcrum paene infinitae populorum multitudines venerabundae respexerunt atque hodie etiam respiciunt; quandoquidem ibi S. Bonifatius iis videtur universis, quorum maiores Iesu Christo peperit, et quos christiano cultu donavit, adhuc quasi vivens loqui; loqui dicimus suae caritatis pietatisque ardore, sua animi invicta fortitudine, sua integerrima fide, indefessa sua ad mortem usque apostolatus navitate, suoque martyrii palma decorato obitu.

[21] *Ibidem*, pp. 49-50.
[22] Cfr. *Ibidem*, p. 50; et *Vita S. Bonifatii, auct. Otloho*, ed. Levison, lib. II, p. 21 ·
[23] *Vita S. Bonifatii, auct. Radbodo*, ed. Levison, p. 73.
[24] *Vita S. Bonifatii, auct. Willibaldo*, ed. Levison, p. 54

Ac vixdum ex hac mortali vita ad superos evolavit, coeperunt omnes eius sanctitatem summis laudibus extollere eumque privatim, publice venerari. Cuius quidem sanctitatis fama tam cito propagata est, ut in Britannia, paulo post sancti Bonifatii martyrium, Cuthbertus, Archiepiscopus Cantuariensis, de eo scribens, haec, quae sequuntur, testaretur: « Hunc inter egregios et optimos orthodoxae fidei doctores et amabiliter habemus et laudabiliter veneramur. Unde in generali Synodo nostra ... eius diem natalitii illiusque cohortis cum eo martyrizantis insinuantes statuimus annua frequentatione solemniter celebrare ».[25] Quod quidem pari pietatis ardore Germaniae, Galliae aliarumque nationum populi iam antiquitus fecerunt. [26]

II

Undenam autem, Venerabiles Fratres, S. Bonifatius tam strenuam hausit indefessamque vim, atque invictam illam animi fortitudinem, qua potuit tot eluctari difficultates, exantlare labores, superare pericula; qua potuit denique pro Iesu Christi dilatando regno decertare usque ad mortem, martyrii coronam adeptus? A divina gratia procul dubio, quam demissis, adsiduis incensisque precibus efflagitabat. Dei videlicet amore tam vehementer actus excitatusque erat, ut nihil aliud cuperet, nisi cum eo coniungi vinculis cotidie arctioribus; nihil aliud, nisi cum eo colloqui quam diutissime; nihil aliud, nisi inter ignotas etiam gentes eius proferre gloriam, et ad eum quam plurimos posset venerabundos, obsequentes amantesque reducere homines. Illud Apostoli gentium effatum, iure meritoque sibi etiam tributum, ingeminare poterat: « Caritas ... Christi urget nos ».[27] Atque illud etiam: « Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum enim quia neque

[25] *S. Bonifatii Epist.*, ed. Tangl, epist. 111, p. 240.
[26] Cfr. *Epistolae* Lupi Servati, ed. Levillain, t. I (Parisiis 1927), epist. 5, p. 42.
[27] *II Cor.* V, 14.

mors, neque vita ... neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro ».[28]

Quotiescumque haec divina caritas hominum animos penitus pervadit, eosque informat atque impellit, tunc iidem Pauli sententiam usurpare queunt: « Omnia possum in eo, qui me confortat »;[29] atque adeo nihil prorsus — quod Ecclesiae historia docet — eorum nisibus eorumque laboribus obsistere vel officere potest. Tunc miro quodam modo, quod Apostolorum tempore evenit, feliciter iteratur: « ... In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum ».[30] Iesu Christi nempe Evangelium novos per eos habet propagatores, quos superna hac vi animatos nihil potest remorari, nisi vincula, in quibus iidem detineantur, ut hodie quoque summo cum maerore cernere est; nihil potest praepedire, nisi mors, quae tamen mors, cum martyrii palma decoretur, ingentes semper multitudines commovet, et alios atque alios excitat — quemadmodum sancti Bonifatii temporibus contigit — divini Redemptoris asseclas.

Quantopere autem divinae gratiae, supplicibus impetrandae precibus, apostolicus hic vir confideret, ut incepta opera sua uberes posset edere fructus, ex suis litteris luculentissime patet, in quibus quidem et a Romano Pontifice,[31] et ab amicis quos habebat sanctitate praestantes, et a sanctimonialibus etiam, quarum communitates vel condiderat, vel consilio suo sapientissimo ad evangelicam vitae perfectionem conformare cupiebat, demisse instanterque efflagitabat ut caelestia sibi munera et auxilia precando conciliare vellent. Haec, exempli gratia, referre placet, quae « venerandis et amandis carissimis sororibus Leobgithae et Theclae, necnon et Cynehildae » scribit: « Obsecro et praecipio quasi filiabus carissimis, quemadmodum vos iam incessanter facere et fecisse et facturas esse confidimus, ut

[28] *Rom.* VIII, 35, 38, 39.
[29] *Phil.* IV, 13.
[30] *Ps.* XVIII, 5; *Rom.* X, 18.
[31] Cfr. *S. Bonifatii Epist.*, ed. Tangl, epist. 86, pp. 189-191.

vestris orationibus crebris Dominum deprecemini. ... Et scitote, quia Deum laudamus, et tribulationes cordis nostri dilatatae sunt, ut Dominus Deus, qui est refugium pauperum et spes humilium, de necessitatibus nostris et de temptationibus huius saeculi nequam eripiat nos, ut sermo Domini currat et clarificetur gloriosum evangelium Christi, ut gratia Domini in me vacua non sit. Et quia ultimus et pessimus sum omnium legatorum, quos catholica et apostolica Romana Ecclesia ad praedicandum evangelium destinavit, ut omnino sine fructu evangelii sterilis non moriar ».[32]

Quibus quidem ex verbis ut eius studium dilatandi Iesu Christi regni enitet, suis ceterorumque instantibus precibus roborandum, ita pariter eius refulget christiana humilitas, eiusque cum apostolica Romana Ecclesia arctissima coniunctio. Quam quidem coniunctionem studiosissimam per totius suae vitae cursum accurate actuoseque servavit; ita quidem ut revera dici possit eandem fuisse apostolici sui muneris veluti firmum ac stabile fundamentum.

Id, quamquam iam supra attigimus, cum de piis eius peregrinationibus egimus ad Beati Petri sepulcrum et ad Iesu Christi Vicarii sedem, placet tamen heic enucleatius exponere, ut satius clariusque pateat eius in Decessores Nostros oboedientiae observantiaeque studium, utque haud minus eniteat Romanorum Pontificum erga eum impensa caritas.

Siquidem, cum primum hanc almam urbem petiit, ut a S. Gregorio II Pontifice Maximo divini verbi praedicationis mandatum acciperet, eum ut cognovit, probavit laudavitque Decessor Noster, qui quidem ei paterno animo haec etiam scripsit: « Exigit manifestata nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantis intentio et adprobata sincerissimae fidei tuae perlata relatio, ut ad dispensationem verbi divini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te conministro utamur. ... Collaetamur fidei tuae et adiutores effici cupimus gratiae praerogatae. ... Ideo in

[32] *Ibidem*, epist. 67, pp. 139-140.

nomine indivisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem beati Petri apostolorum principis, cuius doctrinae magisteriis [divina] dispensatione fungimur et locum sacrae sedis amministramus, modestiam tuae religionis instituimus, atque praecipimus ut in verbo gratiae Dei... ad gentes quascumque, infidelitatis errore detentas, properare Deo comitante potueris, ministerium regni Dei per insinuationem nominis Christi domini Dei nostri, veritatis suasione designes ».[33] Deinde vero ab eodem Decessore Nostro ob praeclara merita Episcopus consecratus, postquam eidem ac successoribus eius iureiurando pollicitus est oboedientiam,[34] haec sollemniter edicit: « me omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere et in unitate eiusdem fidei Deo operante persistere, in qua omnis christianorum salus esse sine dubio conprobatur ».[35]

Cuius quidem oboedientiae atque observantiae sensus ut S. Gregorio II, ita ceteris quoque Romanis Pontificibus, qui subinde successerunt, studiosissime praebuit, atque, occasione data, testatus est.[36] Itaque, ut exemplum afferamus, haec Decessori Nostro S. Zachariae scripsit, vixdum certior factus est eum ad Summi Pontificatus apicem fuisse evectum: « ... Maiorem laetitiam et maius gaudium nobis non audivimus et suspansis ad aethera palmis, Deo gratias egimus, quam quod clementem paternitatem vestram altissimus arbiter canonica iura regere et apostolicae sedis gubernacula gubernare concessit. Ergo, non aliter quam ut ante vestigia vestra geniculantes intimis subnixe flagitamus precibus, ut, sicut praecessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti et subditi discipuli fuimus, sic et vestrae pietatis servi oboedientes subditi sub iure canonico fieri mereamur. Optantes catholicam fidem et unitatem Romanae ecclesiae servando, et quantoscumque audientes vel disci-

[33] *Ibidem*, epist. 12, pp. 17-18.
[34] Cfr. *Ibidem*, epist. 16, pp. 28-29.
[35] Cfr. *Ibidem*, p. 29.
[36] Cfr. *Vita S. Bonifatii, auct. Willibaldo*, ed. Levison, p. 25; *ibidem*, pp. 27-28; *S. Bonifatii Epist.* ed. Tangl, epist. 67, pp. 139-140; epist. 59, pp. 110-112; epist. 86, pp. 191-194; epist. 108, pp. 233-234.

pulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad oboedientiam apostolicae sedis invitare et inclinare non cesso ».[37]

Atque extremis suae vitae annis, cum iam senex laboribusque paene confectus esset, haec demisso animo Stephano III, nuper Pontifici Maximo electo, scribit: « Sanctitatis vestrae clementiam intimis ac visceratis obnixe flagito precibus, ut familiaritatem et unitatem sanctae sedis apostolicae ab almitatis vestrae clementia impetrare et habere merear et in discipulatu pietatis vestrae sedi apostolicae serviendo, servus vester fidelis et devotus permanere possim eodem modo, quo ante sub tribus praecessoribus vestris apostolicae sedi serviebam ... ».[38]

Iure igitur meritoque Decessor Noster imm. mem. Benedictus XV, duodecimo exeunte saeculo ab inchoata gloriosi huius martyris apud Germaniae populos apostolica legatione, haec eiusdem nationis Episcopis scribebat: « Hac firmissima permotus fide, hac pietate et caritate inflammatus Bonifatius quam Sedi Apostolicae fidelitatem coniunctionemque singularem ex umbratili vitae monasticae palaestra primum hausisse videtur in patria, quam deinde, in apertum certamen vitae apostolicae progressurus, Romae, super corpus ipsius B. Petri Apostolorum Principis, sacro interposito iureiurando, promiserat, quam denique veluti sui apostolatus formam ac susceptae legationis regulam, in medium discrimen aciemque produxerat, eandem et constantissime retinuit, et ceteris etiam omnibus, quos per Evangelium genuisset, vehementer commendare numquam destitit, atque tanta sedulitate inculcare, ut illam veluti testamenti loco reliquisse videretur ».[39]

Hanc S. Bonifatii agendi rationem, ex qua eius luculentissima refulget erga Romanos Pontifices observantia, nullo non tempore, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, ii omnes fideliter secuti sunt, qui ante oculos habuere a Divino Redemptore Apostolorum Principem firmam positum fuisse petram, supra quam

[37] *Ibidem*, Epist. 50, p. 81.
[38] *Ibidem*, Epist. 108, pp. 233-234.
[39] Epist. Enc. *In hac tanta*, *A. A. S.* 1919, pp. 216-217.

universa aedificatur Ecclesia, ad saeculorum usque occasum exstitura; eidemque claves regni caelorum traditas fuisse et quidquid ligandi vel solvendi potestatem.[40] Qui hanc petram, renuunt, atque extra eam exstruere conantur, ii procul dubio supra mobilem arenam labantis aedificii fundamenta iaciunt; eorumque nisus, opera atque incepta, ut humanae res omnes, non solida, non firma ac stabilia esse possunt, sed — quod vetus ac recens historia admonet — ob discordantium mentium opinationes ac variorum eventuum vicissitudines, decursu temporum necessitate quadam commutantur.

Valde igitur opportunum putamus arctissimam insignis huius martyris cum Apostolica Sede coniunctionem eiusque egregie facta per haec saecularia sollemnia, vobis hortantibus, in plena sua luce poni; id enim, ut eorum qui Romanorum Pontificum magisterio falli nescio adhaerent, fidem ac fidelitatem confirmabit, ita eos etiam, qui a B. Petri Successoribus qualibet de causa seiuncti sunt, salutariter non excitare non poterit ad rem penitius recogitandam, atque ad iter illud, divina aspirante gratia, considerate animoseque ingrediendum, quo ad Ecclesiae unitatem feliciter reducantur. Id Nos, quemadmodum vehementer cupimus, ita a caelestium Datore munerum supplicibus efflagitamus precibus, ut tandem aliquando optatissimum cunctorum bonorum votum efficiatur, ut omnes unum sint,[41] omnesque ad ovilis unitatem ab uno Pastore pascendi[42] convertantur.

Aliud praeterea est, Venerabiles Fratres, quod S. Bonifatii vita, quam breviter scribendo attigimus, nos omnes edocet. In stylobata statuae, quae anno MDCCCXXXXII in Fuldensi coenobio erecta, Germaniae apostoli imaginem refert, haec sententia ab invisentibus legitur: « Verbum Domini manet in aeternum ».[43] Ac profecto nihil significantius, nihil verius inibi inscribi poterat. Duodecim, aliud ex alio, praeteriere saecula; varii ultro

[40] Cfr. MATTH. XVI, 18, 19.
[41] Cfr. IOAN. XVII, 11.
[42] Cfr. IOAN. XXI, 15, 16, 17.
[43] Cfr. *I Petr.* I, 25.

citroque transmigrarunt populi; tot rerum vicissitudines atque horrifica bella subsecuta sunt; schismata atque haereses inconsutilem Ecclesiae vestem dilacerare contenderunt atque contendunt; praepotentia imperia hominumque dominatus, qui nihil timere, reformidare nihil videbantur, extemplo corruerunt; variae philosophorum opinationes, quae humanae doctrinae verticem contingere enituntur, decursu temporum sese continenter excipiunt novam saepenumero induentes veritatis speciem. Attamen quod Bonifatius Germaniae, Galliae Frisiaeque gentibus praedicavit verbum, utpote ab eo acceptum, qui permanet in aeternum, nostra etiam aetate vigescit, iisque omnibus, qui illud libentes volentesque amplexi fuerint, via est, veritas et vita.[44] Haud desunt profecto nostris etiam temporibus, qui illud respuant, qui errorum fallaciis illud inficere conentur, qui denique — debita Ecclesiae ac civibus ipsis libertate proculcata — mendaciis, insectationibus ac vexationibus illud ex animis eradicare ac funditus evellere enitantur. Atqui, ut optime nostis, Venerabiles Fratres, haec callida ars nova non est; iam fuit inde a christiani aevi primordiis cognita; iam Divinus ipse Redemptor hisce verbis suos discipulos praemonitos voluit: « Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur ».[45] Verumtamen idem Redemptor noster haec etiam in solacium adiunxit: « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum ».[46] Et iterum: « Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ».[47]

Haud miramur igitur si hodie quoque christianum nomen alicubi odio est, si Ecclesia in suo, quod divinitus accepit, perfungendo munere, multis in regionibus quovis modo et quavis

[44] Cf. Ioan. XIV, 6.
[45] Ioan. XV, 20.
[46] Matth. V, 10.
[47] *Ibidem*, 11, 12.

ratione praepeditur, si catholici non pauci falsis doctrinis decipiuntur, et in grave aeternae amittendae salutis compelluntur discrimen. Nobis omnibus addat confirmetque animum Divini Redemptoris promissio: « ... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi »;[48] nobisque supernam virtutem impetret S. Bonifatius, qui pro Iesu Christi regno inter hostiles gentes proferendo, non diuturnos labores, non aspera itinera, non denique mortem ipsam refugit, sed eam, suum profundendo sanguinem, fortiter fidenterque oppetiit.

Invictam eiusmodi animi fortitudinem iis praesertim a Deo patrocinio suo conciliet, qui hodie in gravibus versantur rerum condicionibus ob hostiles artes inimicorum Dei; itemque omnes ad illam Ecclesiae unitatem revocet, quae et constans fuit eius vivendi agendique norma, et actuosissimum votum, quo per totius suae vitae cursum incensus, naviter sollerterque elaboravit.

Haec Nos supplicibus a Deo precibus contendimus, dum vobis omnibus, Venerabiles Fratres, ac singulis gregibus curis vestris concreditis, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus, quae caelestium munerum sit auspex Nostraeque paternae benevolentiae pignus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die v mensis Iunii, in festo S. Bonifatii Episcopi et Martyris, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

[48] MATTH. XXVIII, 20.

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATORUM PETRI ALOISII CHANEL, MARTYRIS, GASPARIS DEL BUFALO, IOSEPHI PIGNATELLI, DOMINICI SAVIO, CONFESSORUM, ET BEATAE MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, VIRGINIS, IN PLATEA S. PETRI AD VALVAS BASILICAE VATICANAE, VESPERE DIEI XII IUNII MENSIS, ANNO MCMLIV PERACTA.

Ad postulationem factam per Advocatum Sacri Consistorii a Viro Eminentissimo Caietano S. R. E. Card. Cicognani, S. Rituum Congregationis Praefecto, Revmus D. Antonius Bacci, Secretarius Litterarum ad Principes, Sanctitatis Suae nomine respondit:

In hac tanta rerum hominumque maiestate mox eventum visuri sumus, quod in Dei gloriam communemque salutem summopere conferet. Ex hac enim veritatis cathedra, ubi « Beatus Petrus in propria sede vivit et praesidet »,[1] sententiam audituri sumus, qua sanctitatis sidera quinque nova luce fulgebunt. Universa exsultet Ecclesia, ubi numquam fallitur christiana fides, numquam divina frigescit caritas, numquam sanctitudinis restinguitur iubar.

Tum Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic sollemniter pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Urbe exsistentium, consilio, Beatos Petrum Aloisium Chanel, Martyrem, Gasparem Del Bufalo, Iosephum Pignatelli, Dominicum Savio, Confessores, et Mariam Crucifixam Di Rosa, Virginem, Sanctos et Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribi-

[1] *S. Petr. Chrysol., P. L.* LIV, 741.

mus: statuentes illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Petri Aloisii die vigesima octava aprilis inter Sanctos Martyres, Gasparis die vigesima octava decembris, Iosephi die decima quinta novembris, Dominici die nona martii inter Sanctos Confessores non Pontifices, et Mariae Crucifixae die decima quinta decembris inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In Nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

ALLOCUTIO

Summus Pontifex, post peractam Canonizationem Sanctorum Petri Aloisii Chanel, Martyris, Gasparis Del Bufalo, Iosephi Pignatelli, Dominici Savio, Confessorum, et Beatae Mariae Crucifixae Di Rosa, Virginis, in Petriano foro, coram multitudine fidelium Veneratissimo Patri acclamante, haec verba fecit.

Se le forze del male non cessano, nel volger dei secoli, i loro attacchi contro l'opera del Divin Redentore, Iddio non manca di rispondere alle angosciose suppliche dei suoi figli in pericolo, suscitando anime ricche di doni della natura e della grazia, che siano per i loro fratelli di conforto e di aiuto. Quando si affievolisce nella coscienza degli uomini la cognizione delle verità salutari, oscurate dagli allettamenti dei beni terreni, quando lo spirito di rivolta e di orgoglio suscita contro la Chiesa persecuzioni subdole o violente, in mezzo alle miserie, sempre presenti, delle anime e dei corpi, la Divina Provvidenza chiama sotto il vessillo della Croce di Cristo eroi di santità, irradianti splendori di purezza verginale e di carità fraterna, per sovvenire a tutte le necessità delle anime e mantenere nella sua integrità il fervore delle virtù cristiane.

1. La vita di coloro che oggi la Chiesa glorifica è tutta compresa nelle parole del Salmista: « *Angustia et tribulatio venerunt super me, mandata tua deliciae meae sunt* ».[1] A *Pietro-Luigi-Maria Chanel* toccò l'onore di essere il primo a versare il sangue per la fede in Oceania. Aveva appena compiuto il sacrificio della sua vita nell'isola di Futuna, fino allora indocile alla grazia, che immantinente si levò una messe ricca al di là di ogni previsione. Il suo viaggio terrestre egli lo trascorse nella umiltà, nella dolcezza, la pazienza, la carità, at-

[1] Ps. 118, v. 143.

tingendo il meglio delle sue energie spirituali nell'amore ardente e delicato per la Vergine Maria. « Aimer Marie et la faire aimer »: fu il voto più fervido e il programma degli anni della sua preparazione al sacerdozio. Ordinato prete, egli cominciò col prodigare senza risparmio le forze fisiche, che la natura assai parcamente gli concedeva, per ricondurre alle pratiche religiose il piccolo gregge affidato alle sue cure. Ma la sua anima aspirava alla perfezione totale e alle fatiche delle missioni presso gl'infedeli. Così risolse di unirsi al gruppo da poco costituito della Società di Maria, che, riconoscendo nella Regina del cielo la loro Madre e superiora perpetua, si adoperava a meglio attuare l'ideale della perfezione sacerdotale e apostolica. Per quattro anni egli si consacrò con una insigne dedizione, una grande pazienza, una vigilanza umile e premurosa, alla educazione della gioventù. Ma ben presto il suo sogno diviene una realtà. Vincendo eroicamente le affezioni più care al suo cuore, s'imbarca per le isole dell'Oceania, ove non era ancora penetrato il Vangelo. Chi dirà le dure prove spirituali e fisiche, che lo attendevano in quel campo dei suoi travagli apostolici? I suoi sforzi di adattamento alla lingua, ai costumi di quel popolo, la sterilità apparente delle sue fatiche, l'incomprensione e la ostilità sorda o aperta, non scuotono la costanza mirabile di lui. Forte della vigile protezione della Madre di Dio, Pietro Chanel rivela agli indigeni stupefatti l'inesauribile carità e la dolcezza del suo animo. L'esempio della sua vita pura e mortificata, la sua preghiera incessante, le sue fervorose esortazioni, preparano il cammino alla grazia divina. Dopo che il martire ebbe reso il suo spirito a Dio, le forze del male, che avevano avversato l'opera sua, prontamente cedettero, e la Chiesa potè contare con gioia anche in quella lontana regione figli numerosi e ferventi.

2. Se però è necessario di annunciare agl'infedeli il messaggio di Cristo, non è meno essenziale di mantenere vivo l'ardore della fede nel popolo cristiano. Nella falange gloriosa dei Santi, che questa terra romana ha dato alla Chiesa, rifulge di luce speciale *Gaspare Del Bufalo*. Fin dai suoi più giovani anni, la protezione di S. Francesco Saverio sembrò ottenergli da Dio una straordinaria profusione di doni soprannaturali. Ancora studente, esercitava assiduamente le opere di carità e di assistenza, specialmente nell'insegnamento della dottrina cristiana ai fanciulli e ai poveri. Sulle orme di S. Giovanni Battista De Rossi, ridonò vigore all'Opera pia di S. Galla e fondò poco dopo l'Oratorio di S. Maria in Vincis. Ma il suo apostolato in Roma fu interrotto dalla invasione delle truppe napoleoniche; egli stesso, avendo rifiutato di

prestare il giuramento di fedeltà a un potere ostile ai diritti della Chiesa, soffrì l'esilio ed il carcere. Finalmente liberato, e con gioia di quanti lo conoscevano ed ora anche più lo veneravano tornato nella sua Roma, ricevette dal Sommo Pontefice Pio VII l'incarico di dedicarsi alle sante missioni, destinate a rinnovare il fervore dei fedeli nei suoi Stati dopo i disordini e i danni prodotti dai publici rivolgimenti. Allora egli riprese l'idea della istituzione di una Congregazione di Missionari sotto il titolo del Sangue Preziosissimo di Gesù, e nonostante le contrarietà e gli ostacoli, inaugurò, il 15 Agosto 1815 la prima casa dell'Opera, che confidò amorosamente alla tutela della Santissima Vergine. In tal guisa comincia per lui una vita di lavori incessanti; egli percorre quasi tutte le regioni dell'Italia centrale, apportando da per tutto, coll'esempio della sua pietà, della sua umiltà, della sua carità, la riconciliazione e la pace, il sollievo delle miserie corporali e soprattutto spirituali. Al tempo stesso egli dava sagge Regole all'Istituto, ed esclamando: Paradiso, paradiso! si sottraeva ad ogni offerta di dignità ecclesiastiche, desiderando di rimanere sino alla morte « sul palco », vale a dire nel campo della sacra predicazione, fiducioso com'era di ricevere in tal guisa più facilmente e senza indugio il premio eterno. Ed il Signore accolse la sua preghiera che la morte lo colpisse in mezzo alle fatiche dell'apostolato; ond'egli lasciò ai suoi figli un mirabile modello di uno zelo eroico che generosamente s'immola per il più gran bene delle anime.

3. Ma se Iddio domanda sovente ai suoi eletti d'intraprendere grandi opere per la sua gloria, vuole altresì che essi sappiano soffrire nella ubbidienza e nel silenzio. Ed invero non si richiede minor generosità per resistere saldamente in mezzo al naufragio e preparare con tenacia l'ora in cui tornerà a regnare la pace. Quando la Compagnia di Gesù fu espulsa dal Regno di Spagna, *Giuseppe Pignatelli* si era già guadagnato la stima dei suoi Superiori con la elevatezza del suo spirito, l'ingegnosa sua carità verso i poveri e i condannati a morte, l'autorità della sua persona che gli permetteva di calmare le sedizioni popolari. La nobiltà del sangue avrebbe potuto ispirargli l'amore delle umane grandezze; ma Iddio aveva posto in lui i germi di una gloria più nobile e santa. Incaricato già della cura spirituale e temporale dei proscritti, sopportò egli stesso con mirabile serenità e pazienza, e aiutò i suoi miseri compagni a tollerare i peggiori disagi, le privazioni, le amarezze indicibili dell'esilio, errando per volte e giri alla ricerca di un rifugio, senza trovare un tranquillo ricovero e sollievo, ma sforzandosi di mantenere da per tutto il fervore dello spirito religioso negli sventurati confratelli a lui affidati. Allorchè finalmente fu ottenuto un soggiorno più stabile, egli

si diede a una vita di preghiera, di lavoro e di carità, e appena spuntò l'alba della risurrezione della Compagnia di Gesù, si adoperò a raccoglierne i membri dispersi, a formare nuove reclute, a ristabilire nella sua integrità il genere di vita e lo spirito tradizionale dell'Ordine. In tal guisa Giuseppe Pignatelli preparava il rinnovamento della inclita Società, a cui sempre rimase indefettibilmente unito; egli restauratore in Italia e nello spirito secondo padre della Campagnia di Gesù, egli il più insigne legame che al di là della soppressione la ricollega alle sue origini.

4. Mentre i tre eroi che abbiamo testè commemorati avevano profuso tutte le loro virili energie nel duro combattimento contro le forze del male, ecco apparire al nostro sguardo l'immagine di *Domenico Savio,* gracile adolescente, dal corpo debole, ma dall'anima tesa in una pura oblazione di sè all'amore sovranamente delicato ed esigente di Cristo. In una età così tenera si attenderebbe di trovare piuttosto buone e amabili disposizioni di spirito, e invece si scoprono in lui con stupore le vie maravigliose delle ispirazioni della grazia, una adesione costante e senza riserve alle cose del cielo, che la sua fede percepiva con una rara intensità. Alla scuola del suo Maestro spirituale, il grande Santo Don Bosco, egli apprese come la gioia di servire Dio e di farlo amare dagli altri può divenire un potente mezzo di apostolato. L'8 dicembre 1854 lo vide elevato in una estasi di amore verso la Vergine Maria, e poco dopo egli riuniva alcuni suoi amici nella « Compagnia dell'Immacolata Concezione », affine di avanzare a gran passi nel cammino della santità e di evitare anche il minimo peccato. Egli incitava i suoi compagni alla pietà, alla buona condotta, alla frequenza dei Sacramenti, alla recita del Santo Rosario, alla fuga del male e delle tentazioni. Senza lasciarsi intimorire da cattive accoglienze e da risposte insolenti, interveniva con fermezza, ma caritatevolmente, per richiamare al dovere gli sventati e i perversi. Colmato già in questa vita della familiarità e dei doni del dolce Ospite dell'anima, ben presto lasciò la terra per ricevere, con la intercessione della celeste Regina, il premio del suo filiale amore.

5. Associata alla gloria di così illustri Confessori, una Vergine insigne per il suo amore alla Croce, *Maria Crocifissa Di-Rosa,* di famiglia patrizia bresciana, canta anch'ella gli splendori dello Sposo divino. Era appena piamente spirata la sua madre terrena, che, ad imitazione di S. Teresa di Gesù, ella si rifugia nelle braccia della Madre celeste. Alla scuola delle Religiose della Visitazione, approfondisce sempre più la sua solida pietà, animata da un desiderio intenso di soffrire per Gesù Cristo e di esercitarsi in una incessante pratica della mortificazione e della

carità. Ella rinunzia ad ogni vanità, ad ogni esigenza della moda, ad ogni spettacolo mondano, ad ogni indulgenza verso la natura, ad ogni offerta di nozze terrene; si occupa delle ragazze e delle donne del popolo, sopporta pazientemente le critiche, specialmente dei libertini delusi, e si compiace di distribuire ai bisognosi i beni di cui dispone. Quando nel 1836 il colera imperversò su Brescia, ella diede libero corso alla sua eroica abnegazione nel servizio dei colerosi e attrasse anche altre sue coetanee al medesimo arduo e pericoloso ufficio. Sostenuta dalla sollecitudine del suo direttore spirituale, la nostra Santa, cessato il flagello, continuò nell'Ospedale femminile di Brescia a dedicarsi all'assistenza delle malate ed abbandonate, e ben presto la pia collaborazione di queste anime generose si trasformò in opera stabile: le «Ancelle della Carità» prenderanno ormai a loro intiero carico il servizio di sanità dell'Ospedale di Brescia e ben presto anche altre benefiche attività. Superati gli ostacoli che avevano attraversato l'opera nascente, la soavissima ed instancabile apostola vide nelle disposizioni della Provvidenza la conferma del cielo ai suoi sforzi; ma supplicava che le croci non cessassero e le persecuzioni e le prove non le fossero risparmiate. Ed infatti, pur manifestando nella sua azione di fondatrice le più belle qualità d'intelligenza e di volere, ella soffrirà con grande coraggio i dolori fisici e soprattutto le angosce dell'anima, le tenebre indicibili che lo scatenato spirito del male si sforza, ma invano, di far pesare su di lei. Un'ardente preghiera sgorgava allora dalle sue labbra: « Gesù mio! Tu solo mi basti. La mia vita sia crocifissa con Te ». In tal guisa dalla profondità di una vita spirituale tutta conforme alla Croce scaturì un'Opera originale e completa, che abbraccia tutte le forme di ospitalità e di assistenza, e prospera in eminenti frutti di carità e di virtù.

Tali sono, Venerabili Fratelli e diletti figli, appena adombrate, le eroiche azioni di questi apostoli e di questi fondatori, che lo Spirito Santo ha plasmati per la continuazione dell'opera di Cristo. Essi intessono insieme una maravigliosa corona alla Vergine Maria, che li ha adornati coi suoi eletti favori e si è compiaciuta di accogliere i loro fedeli servigi. Si degnino questi nuovi principi del cielo ottenere a tutti coloro che esultano oggi per la loro gloria, la grazia di seguire le loro orme e di bruciare come essi di amore per Gesù, che li ha redenti col proprio sangue, e per la sua purissima e santissima Madre.

LITTERAE APOSTOLICAE

IN « PRIMARIAM » ERIGITUR PIA UNIO EXCUBIARUM HONORIS SACRATISSIMI ET IMMACULATI CORDIS BEATAE MARIAE VIRGINIS VULGO « EHRENWACHE DES HEILIGSTEN HERZENS MARIÄ », IN ARCHIDIOECESI MONACENSI CONSTITUTA, EIUSDEMQUE STATUTA CONFIRMANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Almam Deiparam, quae una mortales omnes sanctitudine praecellit, quae Caelorum Regina constituta est hominumque Mater, a qua denique salutem sperare audent miseri, Christifidelium est peculiaribus venerari obsequiis eique religiose quasi apparere. Hoc incensus studio, Bonaventura Blattmann, Sacerdos ex Ordine Fratrum Franciscalium, in urbe Monachio ad Sanctae Annae Aedem condidit sodalitatem marialem, « Piam Unionem Excubiarum Honoris Sacratissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis » nuncupatam, seu, vulgari sermone, « Ehrenwache des heiligsten Herzens Mariä ». Huic quidem propositum est ut sodales, caelestis instar militiae, adversus Intaminatum Cor Dei Genetricis singularem reverentiam vigilanter adhibeant, eius colant virtutes ac sequantur et iniurias expient Corpori Christi Mystico illatas. Quae consociatio, ab hac Apostolica Sede Indulgentiis quoque aucta, non modo in Germaniae regiones est provecta, sed etiam translata ad alias Europae nationes, quin ad Americae oras feliciter pervasit. Cum vero Dilectus Filius Noster Michaël Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de Faulhaber, Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis, a Nobis petiisset, ut Piam Unionem, quam diximus, Primariam renuntiare dignaremur, indulta sanatione, si quid in eius ipsius vel aliarum eiusdem nominis sodalitatum constitutione haud rite factum esset, Nos, qui in ipsa flamma exitiosi belli, recens confecti, humanum genus Immaculato Cordi Beatae Mariae Virginis devovimus eiusque religioni nullum non studemus afferre incrementum, vota huiusmodi libenti animo statuimus explere. Collatis igitur consiliis cum Dilecto Filio Nostro Iosepho Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Bruno, Sacrae Congregationis Concilii Praefecto, harum Litterarum vi, auctoritate Nostra Apostolica perpetuumque in modum « Piam Unionem Excubiarum Honoris Sacratissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis », vulgo « Ehrenwache des heiligsten Herzens Mariä » appellatam atque in urbe et Archi-

dioecesi Monacensi constitutam, ad Primariam cum suetis privilegiis evehimus ac promovemus, impertita sanatione, prout res postulat, eorum quae tempore praeterito circa ipsam forte vitiose acta fuerint. Piae autem Unionis, sic per Nos in Primariam erectae, moderatoribus et officialibus praesentibus ac futuris, Apostolica item auctoritate, per hasce Litteras concedimus, ut alias quascumque eiusdem nominis et instituti Uniones, iam erectas sive in posterum erigendas, sibi aggregare licite possint atque cum illis etiam communicare valeant omnes eidem Piae Unioni, nunc Primariae, ab Apostolica Sede concessas Indulgentias, servatis vero in cunctis de iure servandis. Itemque memoratae Piae Unionis Statuta, iuxta tenorem qui in supplici Nobis oblato libello continetur, eadem auctoritate Nostra plenissime confirmamus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec largimur, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; memorataeque Primariae « Piae Unioni Excubiarum Honoris Sacratissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis » aliisque, ad quas pertinent, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Decembris, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

Gildo Brugnola
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. EMMANUELEM TIT. SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI S. R. E. PRESB. CARDINALEM CONÇALVES CEREJEIRA, PATRIARCHAM LISBONENSEM, QUEM LEGATUM DELIGIT AD CONGRESSUM MARIALEM E TOTA LUSITANIA, AUGUSTAE BRACARUM AD SANCTUARIUM « MONTE DO SAMEIRO » CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Iucundo admodum animo accepimus, proximo Iunio mense, Augustae Bracarum, in perillustri et prisca Lusitaniae septemtrionalis civitate, ad Sanctuarium celeberrimum « Monte do Sameiro », quod ipsi urbi desuper imminet, Congressum Marialem ex universa Lusitanorum natione concelebratum iri. Post enim definitionem dogmatis de Immaculato Virginis Conceptu, cuius memoria saecularis hoc anno sollemniter celebratur, magnificum Bracarense templum e solo excitatum est ad felicissimum eventum commemorandum, praeclarumque Deiparae Immaculatae simulacrum, quod in eodem templo insigni pietate colitur, Romae egregia arte confectum et a Pio Pp. IX, Nostro fel. rec. Decessore, sacro ritu lustratum, quinquaginta abhinc annos aurea corona, ingenti populi Lusitani frequentia ac laetitia, est feliciter redimitum. Pii autem fideles, haud parvo numero quotidie, identidem vero magnis crebrisque agminibus ad illud simulacrum religiose accedunt, ut favorem gratiamque caelestis Matris sibi concilient, ab angoribus miseriisque mortalis vitae releventur atque ad spem immortalis aevi erigantur. Conventus igitur Marianus e tota natione, proximo mense agendus, minime dubitamus quin eas civibus Lusitanis uberes afferat utilitates, quas ex aliis in urbe ipsa Bracarensi antehac habitis percipi, Deo favente, licuit. Quapropter omnia studia atque incepta ad Congressionem Marialem apparandam non modo probamus ac dilaudamus, verum eidem quoque praeesse exoptamus. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui Patriarchalem sedem in urbe Lusitaniae capite tenes, quique Romanae purpurae splendore nites, Legatum Nostrum hisce litteris renuntiamus, ut Nostram gerens personam, Congressui Mariali Augustae Bracariae ad Sanctuarium « Monte do Sameiro » propediem ineundo sollemniter praesideas. Praeterea tibi libenter facultatem tribuimus, ut, die constituta, Sacro

pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam eisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Caelestium interea luminum donorumque in auspicium inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, egregio Archiepiscopo Bracarensi, iisque universis, qui in unum conventuri sunt, Apostolicam Benedictionem in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Maii, anno MDCCCCLIV Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. SS. TRINITATIS IN MONTE PINCIO S. R. E. PRESB. CARDINALEM GERLIER, ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM ET VIENNENSEM ALLOBROGUM, QUEM LEGATUM RENUNTIAT AD MARIALEM CONVENTUM E TOTA GALLIA LUGDUNI CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Auspicato sane continget, ut, medio vertente anno Deiparae Immaculatae dicato, Congressus e tota Gallia Marianus concelebretur in perillustri sede ista Lugdunensi, sancti Irenaei sanguine irrorata, ad augustum sanctuarium Nostrae Dominae de Fourvière, quod imminet amplae et praeclarae urbi, quondam celeberrimae coloniae Romanae, ad locum sitae, ubi Rhodanus et Sequana placidissime confluunt. Civitas enim Lugdunensis fuit in Gallia ex antiquioribus, quae catholicam fidem est amplexa et semper, tot saeculorum decursu, cum Romana beati Petri Cathedra coniunctissima exstitit; immo pro sua erga Deum pietate et proximorum caritate inter ceteras laudes gloriari potest, se tam salutari Operi a Propagatione Fidei nuncupato incunabula dedisse. Qua autem veneratione, quam flagranti amore Caelestem Reginam ista civitas prosequatur, insigne praebuit documentum, quum in colle Fourvière e solo excitavit templum Nostrae Dominae, quum et lineamentis et artificiis praestabile, tum omne genus ornatibus abundans, tum potissimum peregrinorum eo pie confluentium numero celebratum. Argumenta ipsa, quae in proximis Coetibus agenda proponuntur, opportuna sane videntur, non modo ad cognitionem Dei Genitricis altiorem in populo chri-

stiano reddendam, verum etiam ad excitandos filiorum animos, ut Matris vestigia fidelius alacriusque persequantur. Nobis itaque placet indictae celebrationi auctoritatem et splendorem, per praesentiam quandam Nostram, adiicere. Quapropter te, Dilecte Fili Noster, qui, iam pridem sumpto ac sublato signo illo «Ad Iesum per Mariam», incenso studio Deiparae cultus promovendi totam vitam tuam sacrumque apostolatum nobilitasti, Legatum Nostrum deligimus ac renuntiamus, ut, Nostram gerens personam Romanaque nitens purpura, Congressui Mariano in metropolitana sede, quam tenes, die nominali tuo ineundo, sollemniter praesideas. Tibi praeterea facultatem ultro largimur, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Superni interea praesidii conciliatrix et nuntia, peculiarisque Nostri amoris testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, clero ac populo tuae vigilantiae concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Iunii, in festo SS. Trinitatis, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

III

AD EM̃UM P. D. FRANCISCUM TIT. SANCTAE MARIAE IN VALLICELLA S. R. E. PRESB. CARDINALEM BORGONGINI DUCA, QUINQUE EPISCOPATUS LUSTRA EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Exeunte hoc mense, ut libenter novimus, quinque ab inito episcopatu lustra Deo iuvante explebis. Huius enim eventus celebratio praeclaram Nobis affert occasionem tibi gratulandi, quod tot curas ab ipso aetatis flore in Ecclesiae bonum et Sanctae Sedis utilitatem contulisti. Iam profecto in sacerdotii primordiis theologicas disciplinas docuisti quum in Athenaeo ad Sancti Apollinaris, in quo humanis litteris sacrisque doctrinis institutus fueras, tum in Urbano de Propaganda Fide Collegio, sententiarum vim atque acumen cum arguta disserendi perspicuitate coniungens. Interea tamquam adiutor a studiis primo in Sacra Poenitentiaria, deinde apud Sacrum Consilium Propagandae Fidei, tum munere fungens a Secretis in eadem Poenitentiaria, alacrem operam Apo-

stolicae Sedi praestabas, dum, praelucente tuarum virtutum exemplo, in Seminario Romano Minore, ut director spiritus, per decennium teneros alumnorum animos fingebas ac moderabaris. Sed graviores sollicitudines te manebant, in ipsis Vaticanis aedibus sustinendae, ubi munus a Secretis creditum tibi fuit apud Sacrum Consilium extraordinariis Ecclesiae negotiis agendis, quum, priore exacto magno bello, tanti momenti quaestiones ab Ecclesia cum nationibus solvendae erant. Inter ceteras conventiones eo tempore initas, quibus studia et consilia afferre debuisti, sunt sane Pacta illa Lateranensia, quae diuturno dissidio Italiam inter et Ecclesiam finem feliciter posuerunt. Qua quidem concordia restituta, ipse, archiepiscopali auctus honore, primus Nuntius in Italia nominatus, Pio XI, Nostro ven. mem. Decessori, laboriosam operam impendisti, ut Tractatus continentisque Concordati praescripta exsecutioni mandarentur. In hoc autem obeundo munere, postremo perdurante bello et post eius finem, Nostra ac civilium Italiae Moderatorum fiducia per tot annos fruitus es. Administrationem quoque Domus dicionisque Lauretanae itemque Basilicae Sancti Antonii Patavini et Ostiensis de Urbe sedulo gessisti. Neque silentio praeterire volumus peculiarem illam de iuventutis educatione curam, qua, nonnullis sacerdotibus abs te selectis inque opus adscitis, initio ad veterem Seminarii Minoris sedem, deinde, triginta abhinc annos, in Pontificio Sancti Petri Oratorio, cuius aedificatas ornatasque aedes Equites Columbi ex America Pio XI liberaliter donaverant, adulescentes in dies frequentiores studiose congregasti, ut ii, qui circa Basilicam Vaticanam Supremique Pastoris sedem domicilium habeant, flexibilem aetatem in exercendis corporis animique viribus alacriter agant, christianaque doctrina plane imbuti, ad cultum praecipue Eucharisticum et Marianum accurate educentur et Principem Apostolorum Romanumque Pontificem adamare prae ceteris assuescant. Nos igitur, haec tua erga Ecclesiam merita respicientes, in amplissimum Ecclesiae Senatum superiore anno te cooptare voluimus. Nunc vero, oblata occasione, de sacro et episcopali officio tam diu sollerterque gesto ex animo gratulamur, ubera dona ac munera a Deo adprecantes. Quorum quidem conciliatrix et nuntia Apostolica sit Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Iunii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A SUMMO PONTIFICE DATUS, DIE VI IUNII MENSIS A. MCMLIV, SPECTATORIBUS TELEVISIONIS PRIMUM SIMUL COLLIGATAE CUM ANGLIA, BATAVIA, BELGICA, DANIA, GALLIA, GERMANIA ET ITALIA.

Non è forse una fausta coincidenza che in questo giorno, in cui la Chiesa solennemente commemora la discesa dello Spirito Santo nel Cenacolo e la prima predicazione dell'Apostolo Pietro alle moltitudini avide di verità e di pace, Ci sia dato d'indirizzarCi personalmente a voi, spettatori europei della Televisione, e di dichiararvi quanto grande è la Nostra gioia nel venirvi in qualche modo incontro fin nella intimità dei vostri focolari?

Ecco che giungono oggi a felice esito i diuturni sforzi, le ardue ricerche, gli esperimenti innumerevoli compiuti così da singoli scienziati, come da gruppi di studiosi e da nazioni, per stabilire tra i popoli europei, e forse fra qualche tempo con altri continenti, un nuovo mezzo di scambi intellettuali e artistici. Senza dubbio era già possibile mediante la radio di portare fin nelle vostre dimore parole d'insegnamento, d'incoraggiamento o di conforto. Ma chi non è bramoso di contatto immediato? Per quanto fervido ed efficace un discorso possa apparire, esso diviene anche più vivo e commovente, quando la prossimità dell'oratore permette di cogliere sul suo volto le più lievi sfumature dei più soavi sentimenti e d'imprimere nella memoria i lineamenti di lui.

Perciò siamo lieti di salutare l'alta intrapresa della *Union Européenne de Radiodiffusion*, grazie alla quale, con la collaborazione degli organismi responsabili della Televisione e il tenace lavoro dei tecnici incaricati del buon andamento delle stazioni emittenti e riceventi, è potuta sorgere questa rete europea di trasmissione delle immagini. Le esperienze effettuate con favorevole successo gli anni scorsi attraverso la Manica hanno reso possibile la elaborazione del programma, che ha oggi inizio, ed è « il primo che la Televisione Italiana invia alle nove Televisioni europee nel quadro dei primi scambi internazionali di Televisione ».

Le fonctionnement d'un réseau européen de Télévision répond d'ailleurs à la fois au désir des techniciens et à celui des spectateurs. Comme toute invention récente, la Télévision est avide de prospecter ses propres possibilités. Elle a découvert que son point d'application préféré était de saisir les manifestations les plus intéressantes de la vie humaine

au moment même où elles se produisent. Qu'il s'agisse d'activités scientifiques, artistiques ou sportives, des aspects innombrables de la technique moderne ou des réalisations sociales, chacun aspire à l'heure actuelle non seulement à en être informé dans le plus bref délai, mais à s'y associer immédiatement, à en être témoin, si possible.

De plus, la difficulté de réaliser un programme de haute qualité invitait à une collaboration qui divisât les charges, tout en élargissant le champ d'investigation directe. Il importe de remarquer en effet que, si la camera de Télévision capte le réel de façon synthétique, elle le soumet cependant à une analyse plus minutieuse que l'objectif cinématographique : à cause des dimensions réduites de l'écran récepteur, elle préfèrera les images en gros plans, aux personnages peu nombreux, dont elle saisit les expressions les plus fugitives. Aucune hésitation des interprètes ne lui échappe, et l'attention concentrée du spectateur, que n'influence pas l'ambiance d'une assistance compacte, ne pardonne ni les faiblesses éventuelles du sujet ni les négligences de présentation.

La Télévision peut donc jeter partout un regard curieux et s'introduire au cœur des événements. Elle est par là un instrument privilégié d'exploration humaine, un moyen efficace de mettre les hommes en contact les uns avec les autres, de leur révéler plus vite, plus sûrement et avec une puissance insoupçonnée de pénétration, les formes innombrables de la vie contemporaine.

Kaum hat sich indes die weittragende Bedeutung dieses Werkzeugs zur Verbreitung von Kenntnissen und Wissen gezeigt, als sich schon gleich ein heikles Problem zu Wort meldet : Wie steht es um dem sittlichem Wert der zum Teil neuen Welt, die das Fernsehen noch viel umfassender und anziehender eröffnet als der Rundfunk und der Film? Ist es nicht möglich, dass sich neben Bestem auch anderes findet, das ein sittsames Empfinden verletzt? Ist es deshalb nicht doch wohl die erste und selbstverständliche Pflicht der Fernseh-Unternehmen wie der Zuschauer, eine umsichtige und passende Auswahl zu treffen? Der Gesellschaftskörper von heute weist bereits zu viele offene Wunden auf, die ihm die zersetzende Tätigkeit einer bestimmten Art von Presse, Film und Rundfunk geschlagen haben. Wird vielleicht das neue noch wirksamere Mittel das Übel nur verschlimmern, oder wird man von Beginn an sich bereit finden, etwas wirklich Aufbauendes und echt Gesundes zu schaffen?

Die Sorge um den nötigen Absatz verleitet die Unternehmen oft zur Verbreitung von Unterhaltungsstoff und Stücken, die auf die minder

